



SECTIONIS PRIMÆ

Caput II,

CONTINENS

ILLUSTRIORES QUORUNDAM, EX GEMMIS, EFFIGIES, ACTIONESQUE TUM PROFANAS, TUM SACRAS.



Diffident, nec ullâ ratione videntur convenire Mars & Apollo. Hic Pace gaudet, Ille Bellô ; Hic amabili Musices concentu, Ille horrido Præliorum Strepitu ; Alter Laureâ insignis est, Alter Galeâ. Mars Clypeum jactat, Apollo Citharam ; Ille Hastam, Hic Plectrum. Discordiam vel ex utriusque colligas Affeclis : Qui Martem sequuntur, imbelles Apollinis Cultores præ Martio robore contemnunt ; Qui Apollini student, Militarem calumniantur ferociam. Si utrosque conferas, vix dixeris, utri vincant ? Vidimus fugientes cum

*Apolline Musas,
Cum sua fulmineo quateret Mars arma boatu ;
Vidimus languentem*

*cum belli fulmine Martem,
Dum Phœbus tenerâ resonaret carmina Chordâ.*

G 3

Do-